



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm creatura possibilis, vel possibilitas eius sit Ens
simpliciter, & sit ita necessarium, sicut Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quaest. IV. Vtrum possibilitas sit, &c. 491

Ad primum argumentum P. Vasquez respondetur concedendo totum antecedens, & primam partem consequentis, negatur vltima vbi dicitur, quod sit pura negatio, conceditur etiam quod si per impossibile nullum possibile foret, remanere perfectam omnipotentiam, quod etiam probabiliter potest negari cum P. Suarez.

79 Ad secundum concedo totum antecedens, & nego consequentiam; negatur item quod obiectum omnipotentiae sit purum nihil, & negatur etiam quod si creaturae essent necessariae, ut Deus haberet esse, dependeret Deus ab illis; nam ad hoc ut Verbum divinum sit, est necessarius Pater aeternus, & nihilominus Verbum divinum non dependet à Patre, sufficeret enim necessaria connectio inter Deum, & creaturas posibles.



QVÆSTIO IV.

Vtrum creatura possibilis, vel possibilitas eius sit ens simpliciter, & sit ita necessarium sicut Deus.

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit ens possibile non esse ens secundum quid, sed simpliciter pro materiali, ad quod supponunt ens dupliciter considerari; & pro ratione formali existendi, & pro subiecto, quod per illam existit, ens igitur in potentia pro formali est non ens, quia dicit carentiam existendi, quæ est non ens: at subiectum illud esse ens pro materiali, quapropter à Beato Thoma, & Aristotele negatur ens in potentia esse ens simpliciter.

Probatur primo, ens rationis dicitur ens secundum quid; sed ens possibile est magis ens, quam ens rationis: ergo ens possibile est ens simpliciter.

Secundo, hæc vox *ens* simpliciter usurpatur pro ente in potentia, ut opponitur chymaræ, ens enim nominaliter sumptum significat res abstractas ab existentia, participat autem significat easdem existentes live entes actu: sed possibile est ens in potentia: ergo possibile est ens simpliciter nominaliter.

Secunda sententia asserit magis necessarium esse Deum dari, quam possibile esse possibile, sic Scotus in 1. dist. 43. quaest. 1. Basilius Ponze relect. citata quaest. precedenti §. quod sit prius, vers. mihi aliquanto, P. Vasquez 1. part. disp. 104.

Probatur primo, quod in creaturis possibilibus sit necessitas excludens omnem rationem contingentiae, non obstat quominus una res dicatur alia magis necessaria, id quod ostenditur imprimis multis exemplis, in quibus sine admixtione formæ contrariæ una forma magis, vel minus participari dicitur. Constat hoc primo in bonitate, & malitia, nam etiam exclusa omni ratione boni in actu malo, & ratione materiali in actu bono, neque recte facta, neque prave operata sunt paria, etiam si sit indivisibilis linea rectitudinis, & pravitatis; ergo sine admixtione formæ contrariæ potest aliqua magis vel minus participari.

Antecedens notum est contra Stoicos, quorum erat axioma omnia peccata esse æqualia, omnia recte facta esse paria, ut constat ex Seneca epist. 66. virtutes inter se pares sunt, & opera virtutum, quia una inducitur virtutibus regula, virtutibus humanis regula, & una est ratio recta, & simpliciter, ut idem dicit Sen. epist. 65. addens quod omnis virtus perfecta sit, perfectio autem nihil est maius, aut melius esse potest; & tandem quamvis omnis virtus sit mensura, quamvis una ratio, quavis perfecta non omnia recte facta sunt æqualia, neque peccata paria: ergo etiam si duo extrema necessario excludant contingentiam omnem, potest unum altero esse magis necessarium: ergo licet possibile, & Deus excludant contingentiam, nihilominus poterit Deus esse magis necessarius, quam creaturae posibles.

Confirmatur id testimonio Aug. epist. 29. hoc ipsum agentis contra Stoicos, quia distorto inquit aliquid distortius est summe rectum, quamvis nulla in eo rectitudo, unus tamen alio magis distortus est, & obliquus, quatenus à rectitudine discedit magis: ergo etiam quatenus aliquid magis à contingentia recedit, etiam si omnem excludat, potest dici magis, vel minus necessarium ens; idem ostenditur in veritate, & falsitate; nam est aliquid alio verius, etiam si nulla sit admixtio falsitatis, & aliquid alio falsius sine vlla veritatis admixtione: ergo similiter, &c. antecedens autem probatur concediturque in metaph.

Præterea inter contingentia omni ratione necessitatis exclusa unum alio magis contingens est, magis enim contingens est Petrum cras legere quam esse Regem, & tamen nullum est in utroque necessitatis vestigium: ergo è contrario sine vlla contingentia ratione unum potest esse altero magis necessarium, idem quoque habet probabilior opinio in unitate vel distinctione, nam sine vlla admixtione unitatis formalis quæ in re nulla est, aliqua dicuntur magis vel minus una, vel diversa, quam alia.

Secundo probatur principaliter necessitas obiectiva, quam certitudinem appellamus, oritur ex necessitate in esse, certitudo namque & infallibilitas nihil aliud esse videtur quam incapacitas falsitatis, aut quædam necessitas cognitionis attingentis obiectum sicuti est, quod quidem contingit cum cognitio huiusmodi obiectum formale necessario habet connexum cum materiali cognito, ex hoc enim efficitur ut cognitio quæ ex tali obiecto specificatur eam naturam habeat, quæ necessario, & infallibiliter attingat rem materialem, quare certitudo, & infallibilitas, quæ in cognitione est, nascitur ex penetrata coniunctione necessaria obiecti materialis, cum obiecto formali, atque adeo ex ipsa necessitate in esse, sed in cognitione, quæ est omnino certa & incapax falsitatis, & dubitationis una cognitio est certior alia, ut patet in demonstrationibus, in quibus certior est prima demonstratio, quam secunda, quæ illam supponit, cum prima oriatur ex primis, & maxime necessariis ut docet communis sententia, & quod negari non potest omni dubitatione exclusa, certior est secundum se cognitio fidei quam cognitio evidens scientiæ naturalis; loquor enim de fide supernaturali ut tradunt omnes scholastici, & omnes Patres cum quibus Basil. epist. 25, ad Gregorium fratrem, & Chrysostomus, nec de hoc dubium esse potest: ergo & fatendum necessario

est vnum ens remota omni admixtione contingentiae esse magis necessarium, quam aliud; nec enim si les alia ratione certior est, quam scientia, nisi quia magis necessaria veritas est aut magis connexum huiusmodi praedicatum veritatis divinae cum natura divina, quam animalis rationalis cum homine, neque apparet qua ratione qui vnam cognitionem admittunt certiores alia, quando in cognitione nullum est vestigium formidinis negare possint esse vnum obiectum alio magis necessarium, cum ex magis vel minus extremorum necessaria connectione talis certitudo derivetur ad cognitionem, si illam secundum se spectemus.

Tertio sic probatur a priori, quia Deus est primum ens a se, creatura autem est esse participatum, & ab alio quomodocumque consideretur: ergo Deus est ens magis necessarium quam creatura cum hac ab eo dependeat.

- 9 Explicatur magis ratio ista propter quod vnumquodque tale, & illud magis iuxta Aristotelem, sed in rebus sunt aliqua magna, vera, bona, nobilia entia quae sunt ab aliquo vero, magno, bono, nobili, & ente: ergo illud a quo sunt magis bonum, verum, magnum, nobile, & ens est, cum sit a se & non per aliud, omne enim id quod per aliud est minus est eo quod per se est, ait Anselmus qui hac ratione utitur *cap. 1. 2. 3. 4. & 5. in monologio*: ergo si creatura possibilis sunt necessaria ab alio illud aliud magis necessarium erit.
- 10 Urgetur hoc amplius, quia ubicumque reperitur contingentia in actualitate implicat esse ens summe necessarium; ens autem creaturarum possibile, & existens, tantum distinguuntur, secundum diversos status vnius, & eiusdem entitatis: ergo haec entitas, quae hanc statum varietatem sortiri potest ex se non est summe necessaria, sicut est Dei entitas ex se, in qua non potest separari entitas actualis a possibilitate.
- 11 Quarto sic probatur, in rebus invenitur aliquid magis, & minus bonum, & verum, & nobile, est igitur aliquid, quod est verissimum ac proinde maxime ens, ita est maxime necessarium, & creatura possibilis inferior illo in necessitate.
- 12 Urgetur maior, veritas est, Deus est, quam creatura est, & Deus est possibilis quam creatura est possibilis: ergo magis necessarius est Deus quam creatura possibilis.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

- 13 Prima conclusio, possibile ut possibile, non est actu simpliciter ab aeterno ens, loquor enim de possibili, quatenus non habet actualem existentiam: haec sententia est communis inter omnes pene scholasticos.
- 14 Probatur primo auctoritate Divi Anselmi in *Monologio*, *cap. 8.* ubi sic ait: hoc igitur modo non inconvenienter intelligi potest si dicitur creatrix essentia univ ersa fecisse de nihilo, sive quod univ ersa per illa facta sunt de nihilo, id est quae prius nihil erant nunc sunt aliquid, quibus consonant verba D. Thomae, *1. p. q. 9. art. 2.* ubi sic ait, omnes creaturae antequam essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit aeternum, sed per solam potentiam Divinam in quantum Deus potest eas in esse

producere; ex quibus sic argumentor, creatura ut ait Anselm, & D. Thomae, nihil sunt reale, & positivum, positivum enim ens simpliciter est: ergo possibile ut possibile, seu possibilitas creaturarum, non est ens simpliciter in sententia D. Anselmi, & D. Thomae, quia si esset ens simpliciter, possibilitas creaturarum creaturae antequam producerentur, non dicerentur a D. Anselmo fuisse nihil, cum antequam producerentur erant possibiles, & ut possibiles erant ens simpliciter per vos, quod adeo verum est ut propter hoc dixerit D. Thomae, ut patet ex eius verbis relatis, creaturam ab aeterno non esse possibilem per aliquam potentiam creatam, quia tantum abest ut creaturae in sua possibilitate sint ens simpliciter, ut potius eis deneganda sit te sint ens simpliciter, ut potius eis deneganda sit non solum ratio perfectissima entis, seu simpliciter, & absolute talis, sed etiam ratio imperfectissima entitatis, qualis esset potentia passiva, materia enim prima minima entitatis dicitur ac prope nihil a Divo Aug. quia totum esse materiae prima, est potentia passiva: ergo minime potest in sententia horum Doctorum possibilitatem esse ens simpliciter, & absolute, cum illi nec minimum entitatis concedant ipsamque possibilitatem nihil esse fateantur, ut patet ex verbis D. Anselmi, id aperte affirmantibus, quibus consonant verba D. Thomae, *quest. 3. de potentia, art. 5. ad 2.* ubi eisdem pene verbis, quibus utitur D. Anselm, ad hanc veritatem declarandam hanc sententiam confirmat ex hoc ipso inquit, quod quidditas esse tribuitur non solum esse: sed ipsa quidditas, creati dicitur, quia antequam esse habeat nihil est nisi forte in intellectu creatis, ubi non est creatura: sed creatrix essentia quae verba maximam conformitatem habent cum principijs fidei, quia solus Deus est ens simpliciter ex se necessarium, & sine ipso factum est nihil, & sine effectione eius nihil positivum est, aut ens simpliciter, unde recte dicunt sancti Patres, quicquid a Deo factum non est vel Deum esse vel nihil esse, Iustinus in expositione fidei Cyril. *lib. 1. in Ioann. cap. 6.* Aug. *lib. 1. de Trinitate, cap. 6.* est autem de fide certum Deum non fecisse essentias creatas ut possibilitates ab aeterno, ut argumentabor supra contra Basil. Ponz. cum de fide sit Deum nihil agere necessario simpliciter, neque ex libera voluntate, sic enim de fide est in tempore coepisse operari, nec potest in mentem alicuius Doctoris scholastici catholici venire quod essentia creaturae ex se, & absque efficientia libera Dei sit simpliciter ens, habeatque aliquid verum esse reale distinctum ab esse Dei, cum quicquid est simpliciter, aut sit ipsa Dei essentia aut sit quid productum a Deo per veram efficientiam, sique dependens ab ipso vere, & realiter; urget hoc ipsum verba ipsius Angelici Doctoris *3. p. q. 10. art. 2. in corp.* ubi dupliciter inquit dicitur aliquid ens vno modo simpliciter, quia scilicet est ens actu, alio modo secundum quid, quia est ens in potentia non sunt simpliciter, & sicut excluduntur a numero entium, ita excluduntur a numero omnium.

Hanc sententiam amplectitur Aristoteles *lib. 1. de generatione, c. 2. 8. Phys. cap. 3. 1. 2. 3. & 4. Met. sed praecipue 9. cap. 5.* his verbis, non entibus non attribuitur ipsum moveri, sed alias quidam praedicationes, ut intelligibilia desiderabilia esse, non entium enim quaedam potentia sunt, non autem sunt, quoniam enelechia id est actu non sunt, quibus verbis aperte, & expresse Philosophus ea solum vocat

cat entia simpliciter quae endelechia sunt, id est quae actu existentia sunt; possibilis autem, seu impotens, licet actu sint desiderabilia, & intelligi- lia aut minime vocanda esse entia simpliciter: sed potius non entia, quod confirmat verbis his paulo post, in potentia enim entia non quidem simpliciter, actu quidem simpliciter produci necesse est; ac si aperte diceret entia possibilis, quae quatenus talia praecise ex vi possibilitatis non sunt entia simpliciter, simpliciter entia redduntur, dum actu producuntur, & quatenus ex vi productionis actu existunt: ergo in sententia tam Philosophi, quam Doctorum Ecclesiae certissimum debet iudicari entia possibilis quatenus possibilis, ac praecise existentia non esse ens simpliciter.

16 Secundo probatur haec sententia ratione, quia ens simpliciter tale, est ens positivum, sed possibilitas, vel ens possibile, quatenus possibile non est ens positivum: ergo possibile quatenus possibile non est ens simpliciter. Minor haec sic probatur, quia in possibili duplex ratio potest considerari, aut possibilitas ipsa, aut existentia, quam connotat: sed possibilitas actu non est ens positivum, ut ex supradictis latissime patet, & existentia, licet quando producatur futura sit positiva, nihilominus antequam producatur, & ab aeterno actu non fuit; unde nec positiva actu fuit: ergo possibile, quatenus possibile non est positiva entitas. Maior sic probatur, quia illud est simpliciter tale in aliquo genere, & per anthonomiasiam, quod est perfectius simpliciter, & absolute omni alio intra illud genus: sed inter omnes rationes quae a parte rei dantur sine fictione intellectus solum dantur, aut negationes, aut positiva entitates comprehendendo sub ratione negationis etiam privationes: sed inter negationem, & positivam entitatem, etiam si concedamus negationem, & privationem esse entia negativa simpliciter, & absolute perfectius, ac principalius est ens positivum, quam privatio, seu negatio, quae ens negativum est: ergo simpliciter, & absolute ens non erit negatio, aut privatio: sed positivum ens.

17 Urgetur rationibus omnibus, quibus id supra agentes de unitate transcendentali probavimus, ibi enim demonstratum a nobis fuisse synonyma ens simpliciter, & positivum: ergo si possibilitas non est ens positivum, non erit ens simpliciter & absolute. Praeterea, quia privatio, & negatio ut patet ex dictis in Logica disp. de antepredicamentis, minime possunt vocari entia, cum proprietate: sed cum improprietate, vel per analogiam ad ens positivum, quia si negatio, & privatio potius sunt destructiones entis, v.g. caecitas est destructio visus, & tenebra destructio lucis, quae sunt entia: ergo negatio, & privatio non possunt entia dici: sed quando comparantur duo, quorum vnum dicitur per analogiam ad aliud, & cum improprietate illud quod fuerit analogatum principalius, & in ordine ad quod per analogiam dicitur, aliud est simpliciter tale, ut videre est in sano dum dicitur de homine, & de alimento, & in pede, respectu hominis, & montis: ergo ens positivum dicitur simpliciter ens, negatio autem secundum quid, convincitur hoc evidenter, quia illud quod dicitur cum addito tale praecipue si additum sit diminuens, & quod non potest dici sine addito, non est simpliciter tale: contra vero, quod sine addito aliquo absolute dicitur tale est simpliciter, & absolute, ut dicitur, sed privatio, & negatio non dicuntur sine addito entia, sed solum dicuntur en-

tia negativa cum addito illo diminvente, & entitas positiva absolute, & sine aliquo addito dicitur ens, ut videre est in Deo, in homine, Angelo, & ceteris: ergo ens positivum est simpliciter ens, negatio, & privatio non potest esse simpliciter ens: sed possibile intrinsece, & formaliter, & secundum omne quod actu habet ab aeterno est negatio, & non positiva entitas: ergo possibile ut possibile non est ens simpliciter.

Secundo probatur, illud est, & dicitur simpliciter tale, quod est tale per continentiam actualem formae, quae constituit rem in esse talis: sed existentia actualis constituit ens in ratione entis simpliciter: ergo id solum erit ens simpliciter, quod continuerit actualiter existentiam actualem: sed res solum existens in actu exercito continet actualiter existentiam actualem, ens vero possibile solum in potentia ab aeterno: ergo possibile non est ens simpliciter ab aeterno actu, cum ens possibile non existat actu ab aeterno. Maior primi syllogismi est de se nota, ideo enim verus homo est, & dicitur simpliciter homo, quia actu continet rationale, quod est forma constitutiva hominis, secundum quod talis: homo vero pictus dicitur secundum quid homo, quia illam formam non continet actu, sed solum figurative, & in ratione imaginis obiectivae, seu signi instrumentarii. Minor etiam constat ex dictis, breviterque in hunc modum declarari potest ens simpliciter, ut modo illud usurpamus, est illud quod verum, & intrinsecam rationem entis actu participat, sed ea solum, quae actualem habent existentiam, per ipsam existentiam participant actu verum, & intrinsecam rationem entis, ea enim solum sunt entia positiva, & realia, quod est conceptus veri, & intrinseci entis: ergo existentia actualis constituit ens in ratione entis simpliciter: ergo res solum existens erit ens simpliciter, res vero possibilis ens secundum quid, & simpliciter non est.

Confirmatur, ideo chymæra, relationes ratio- nis, negationes, & privationes sunt non entia simpliciter, quia remouent pro omni statu existentiam actualem suarum rationum: ergo a contrario sensu illa erunt simpliciter entia quae actu coniuncta sunt cum actuali existentia. Tunc sic, ens possibile non est actu coniunctum cum actuali existentia ab aeterno: ergo ens possibile vel sic non est ens simpliciter.

Dices primo: ergo ens possibile in ratione entis positivum non dicitur ab ente impossibile, licet utrumque sit non ens simpliciter.

Respondetur concedendo consequentiam, loquendo de formalibus, & intrinsecis rationibus, per quas utrumque constituitur, sunt enim ut constat ex dictis duae species negationum ut sic, quare quantum ad rationem entis, aequae sunt non entia simpliciter, quamvis ens possibile dicatur ens in potentia, quia est in potentia ad actualem existentiam.

Dices secundo, ens rationis dicitur ens secundum quid, & accidens dicitur etiam ens secundum quid; quo ergo pacto ens possibile ens erit secundum quid, an eo modo, quo ens rationis, an potius sicut accidens, sed neutro modo: ergo in primis non eo modo, quo ens rationis, homo enim simpliciter est ens factum, & a parte rei impossibile, neque item ut accidens, quia hoc ut existens veram rationem entis participat.

Sed contra, quia *secundum quid* sumi potest dupliciter, vel ut additum contrahens, vel ut

Q99 3 diminuens,

diminuens, seu extrahens id quod afficit à vera ratione illius, sub qua afficit, accidenti autem convenit, ut additum contrahens communissimam rationem entis ad particulares rationes entium in alio, quæ entia secundum quid dicuntur, non quia deficient simpliciter à ratione entis: sed quia non attingunt perfectionem substantiæ, suntque natura sua, & quidditate ordinata, ut illam tanquam finem, & subiectum perficiant per intrinsecam adhesionem, vel inhesionem per modum conceptus supervenientis.

23 Entibus vero rationis convenire, ut sunt additum diminuens, quare per illud denotamus minime participare illa intrinsecam, & veram rationem entis, sed similitudinariam quandam, & fictitiam ob proportionem solum, & analogiam, quam servat, & attendit mens recipiendo ad entia realia, ad quorum similitudinem efformantur quando illa fingit, & fabricatur, quare si stricte loquendum esset, neque uno, neque altero modo *secundum quid* entis possibili convenire potest. Non primo, quia accidentibus existentibus actu convenit intrinsecam, & vera ratio entis, & ob id solum, quia per se non existunt: sed natura, & quidditate sua connotant substantiam, ut subiectum inhesionis, vel ut terminum adhesionis, dicuntur entia secundum quid, & entis entia.

24 Neque item secundo modo, quia sub ea ratione, qua ens possibile dicitur ens secundum quid, non pendet à ratione, non enim possibilitas lapidis est aliquod rationis figmentum. Dicitur ergo possibile ens secundum quid, non ita ut *secundum quid* sit additum contrahens veram, & intrinsecam rationem entis, diximus enim possibilitatem esse negationem, & non positivum; nec ut additum diminuens in usurpatione, quæ tribuitur entibus rationis, & significatione qua ea appellamus: sed in alia diversa, videlicet, quatenus *secundum quid* denotat naturam entis possibilem simpliciter non esse ens, & positivum quid, neque esse meram, & puram negationem: sed negationem connotantem essentialiter terminum positivum, existentiam scilicet actualem extra causas producendam, quo sensu *secundum quid* dici etiam potest differentia contrahens non intrinsecam rationem entis positivi: sed communissimam rationem negationis ad rationem particularem negationis intrinsecam connotantem positivum, ut terminum ponendum, vel ad negationem quam alij vocant non puram, idem & dici potest differentia distinguens, quia per illud fecerimus negationem illam à mera negatione entis impossibilis; itaque sicut accidens dicitur ens secundum quid, quia non attingit rationem substantiæ, quæ est perfecta, & absoluta entitas, ita similiter possibilitas vocatur ens aliquo modo, quia superat negationem puram, scilicet repugnantiam in hoc, quod non habet repugnantiam, scilicet in connotatione ad positivum, & ut significemus excessum hunc vocamus possibilitatem ens secundum quid.

25 Sic probatur principaliter, quia existentia in potentia retinet conceptum existentie possibilis; sed existentia in potentia non est simpliciter existentia, sed tantum secundum quid: ergo rem esse possibilem non facit illam simpliciter talem: ergo possibile, ut possibile, seu possibilitas non est absolute ens, siquidem non est simpliciter res, quæ est synonymum entis. Hæc secunda con-

sequentia ex prima est manifesta cum sit eadem ratio in illis, prima certissima est ex præmissa secunda, & prima, scilicet ex maiori, & minori.

Minor est tum de fide qua certum est nullam rem præter Deum existere ab æterno aut habere existentiam simpliciter, aut simpliciter esse, à cuius probatione merito ait Hurtado se abstinere, cum non sit inter catholicos quæstio de ea re, tum ex philosophia, quia si ego ab æterno habeo existentiam existentiam simpliciter, & eam necessario sum habiturus per æternitatem, quid mihi deest ut absolute sim, & sim æternus, & immortalis? est ergo certum existentiam in potentia esse existentiam secundum quid, & non absolute, nec illi convenire prædicatum existentie commune existentie actuali. Maior propositio est ex terminis nota, quia quando ego modo concipio possibilem existentiam alius mundi, formo conceptum de existentia, sicut formo conceptum de illius mundi essentia.

Dices existentiam esse ita actuali, ut non sit in potentia, quia de eius quidditativo conceptu est esse, & facere rem existentem non posse, sicut de essentia hominis esse rationale, & quemadmodum repugnat apprehendi hominem, quin apprehendatur rationale, ita repugnat apprehendi existentiam, quin apprehendatur ut exercita.

Sed contra, Deus nunc habet potentiam producendi Gabrielem, quem pono nunquam productum, nec producendum: ergo habet potentiam producendi existentiam Gabrielis. Antecedens est certum tam in fide, quam in Theologia, consequentia patet, quia Gabriel produci potest existens propria sua existentia, sicut nunc Michael est productus existens sua propria: ergo Deus habet virtutem producendi eam existentiam, nam quando res producit, producit eius existentia si eam habet propriam ut eam habet Gabriel, vel saltem produci potest: sed illa existentia Gabrielis non est producta nec existens vlla temporis differentia: ergo existentia Gabrielis est in potentia tantum, & non in actu.

Deinde ante creationem mundi nulla fuit existentia, & tunc potuit Deus facere, ut essent exercitæ rerum existentie: ergo existentie rerum fuerunt aliquando possibiles, & non existentes actu, & illæ existentie de illo statu translatæ sunt per liberam productionem Dei ad statum exercitij actualis. Item existentie potuerunt libere à Deo non esse: ergo existentie hæc individua, & singulares secundum ultimas differentias, & individuas sunt possibiles, & possunt desinere esse sicut essentia Petri, & in esse possibili non sunt existentie simpliciter: ergo res possibilis non est simpliciter ens.

Ratio autem à priori est, quia prædicata, quæ rei conveniunt in potentia, non conveniunt simpliciter: sed essentia hominis antequam existat, & quatenus dicit possibilitatem est tantum ens in potentia: ergo non est ens simpliciter. Maior patet, tum quia esse in potentia tantum est posse esse, esse in actu est esse, posse autem esse non est esse, sicut posse dormire non est dormire, nec posse vigilare est vigilare, alioquin simul dormiremus, & vigileremus, quia ea possumus simul: minor autem patet, quia homo in potentia nullum habet esse actuale: sed tantum possibile, sive actum existere.

Ultimo probatur, quia repugnat assensum simpliciter,

pliciter, & dissensum simpliciter convenire eidem intellectui circa idem obiectum simul: sed illi conveniunt secundum essentias in potentia existentes: ergo assensus, & dissensus existentes in potentia non sunt simpliciter assensus, & dissensus. Minor est vera, quia in potentia intellectus continentur nunc virtualiter assensus, & dissensus, & nunc sunt absolute possibiles: Maior est etiam certa, quia nullus potest sibi persuadere rem simul esse, & non esse.

32 Secunda conclusio, possibile non est secundum quid ens si illud secundum quid denotet aliquid entitatis habere actu; unde negatur possibilitas entitatis in eo sensu, quo de Æthiopo dicitur quod sit albus secundum quid, qui ita appellatur, quia in aliqua parte habet albedinem, & quia comparata illa albedo cum nigredine, qua toto corpore afficitur, est parvissima, dicitur subiectum illa affectum nigrum simpliciter, & album secundum quid, quæ albedo licet parvissima sit, ut dixi, nihilominus vere proprie, & actualiter albedo est, in hoc inquam sensu dicimus possibilitatem non esse ens secundum quid, quod sic patet manifeste.

33 Nam possibilitas intrinsece adæquate, & secundum omne quod in se ab æterno habet, est negatio, ac proinde nihil habet positivæ entitatis: ergo non est secundum quid ens, quia si tale est, haberet actu aliquid entitatis; sed nihil habet illius, ut quæstione præcedenti latissime probavimus: ergo in eo sensu non potest dici ens secundum quid ens sicut subiectum illud quod nulla, etiam minima imbueretur albedine, nullo modo posset dici album etiam secundum quid.

34 Tertia conclusio: in alio sensu dicitur possibilitas ens secundum quid, scilicet in quantum est ens in potentia, seu dicit potentiam ad existendum vniendo se cum existentia, à qua constitui potest existens, vocatur enim ens secundum quid, quatenus opponitur impossibilitati, cui omnino repugnat coniungi cum existentia, & cum entitate simpliciter. Hæc conclusio latissime explicata manet supra in solutione obiectionis secundæ contra primam conclusionem, qua explicatione sufficienter manet comprobata hæc sententia, & non indiget nova probatione.

35 Quarta conclusio: possibilitas est ita necessaria in suo esse, aut in sua ratione formali possibilitatis, sicut Deus in suo esse. Probatur hæc conclusio.

36 Primo, quia Deus ea necessitate gaudet in suo esse, ut oppositum eius nulla facta suppositione implicet contradictionem: sed oppositum creaturarum possibilem sui possibilitatis nulla facta suppositione implicat, in hoc enim sensu absolute solet dici tam impossibile esse Deum non esse, ac possible non esse possible, & è contra: ergo æqua necessitate gaudet possibilitas in sua ratione possibilitatis, ac Deus fruatur in esse Dei.

37 Secundo, quia ideo Deus est in summo gradu necessitatis, quia est à se sine dependentia ab alio: sed possibilitas creaturarum in ratione possibilitatis est à se sine dependentia ab alio, ut patet ex dictis supra quæstione præcedenti: ergo ea possibilitas creaturarum est in summo gradu necessitatis quo est Deus: ergo æqua, ac Deus gaudet necessitate essendi.

38 Confirmatur, quia illud quod nihil habet contingentis, est in summo gradu necessitatis; ideo-

que Deus est in summo gradu necessitatis, quia nihil habet contingentia in esse Dei: sed creaturæ possibile in suo esse possibilitatis nihil continent contingentia, nec villo modo sunt obnoxia illi: ergo sunt in gradu necessitatis, quo Deus est, & sic erunt in quodam gradu necessitatis, quo non est alius maior; unde nullo modo poterit negari tam necessariam esse possibilitatem creaturarum, sicut esse Dei.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum patet, ex supra dictis in solutione 39 ne obiectionis secundæ contra primam conclusionem.

Ad secundum optime respondet Pater Hurta-⁴⁰ do in sententia Divi Thom. & Arist. isti enim auctores ex negatione entis participialiter inferunt ens nominaliter non esse ens simpliciter: sed esse ens secundum quid, etenim ex negatione entis in actu inferunt tale ens non esse simpliciter ens; aut ergo inferunt de omni ente simpliciter etiam nominaliter; sic autem habeo intentum, aut inferunt negationem entis simpliciter participialiter tantum, & hoc esset ridiculum, quia redderet hunc sensum ens non existens non est ens existens, quia non est existens, igitur quia non est ens in actu inferunt negationem entis simpliciter, adde ut ens distinguatur à chimæra non esse opus, ut sit ens simpliciter: sed sufficit esse ens secundum quid, & in potentia, sic Aristoteles distinguit inter non entia, quia alterum potest, alterum non potest existere, nam chymæra repugnat existere, possibile cuius nullam dicit repugnantiam ad existendum, repugnantia autem & non repugnantia sine dubio opponuntur, & distinguuntur: ergo ad absolutam distinctionem à chymæra non requiritur ens simpliciter, sed in potentia.

Ad secundum negatur illud, ad exempla con-⁴¹ cedo, nec actus omnes pravos, nec studiosos omnes esse æquales in honestate & malitia, quia non omnes honesti æqualia secundum perfectionem obiecta tam materialia, quam formalia respiciunt, à quibus obiecta ve propriam honestatem participant, nec omnes actus pravi æquali honeste, aut perfectione actibus honestis debita privant: sed inæquali, iuxta inæqualitatem perfectionem obiectorum formalium, & materialium, in quæ deberet operans tendere; at vero necessitas creaturarum, & Dei utraque simpliciter remouet eandem contingentiam in essendo, & dependentiam ab alio.

Ad confirmationem ex Augustino desumptam⁴² eodem modo respondetur.

Ad secundam confirmationem respondetur⁴³ necessitatem possibilitatis, sicut etiam necessitatem Dei, non consistere in hoc quod excludant contingentiam, sed principaliter in hoc quod habeant esse à se sine dependentia ab alio. Ex quo sequitur exclusio contingentia, quæ tanquam minus principale in hac necessitate debet reputari, cum autem ita sit possibilitas à se, & independens sicut Deus: inde evenit quod in formalissima ratione necessitatis æqualitatem habeat, ac per consequens sit ita necessaria possibilitas sicut Deus.

Deinde

- 44 Deinde etiam in exclusione contingentiae sunt aequales Deus, & possibilitas, quia cum haec exclusio oriatur ab independentia tanquam à radice, & in illa dicant aequalitatem, etiam debent habere eam in dicta exclusione, quae ab independentia fluit, & ratio est, quia possibilitas non excludit aliquam contingentiam, admittendo aliam, quia tunc posset excludere minorem contingentiam non excludendo maiorem, & sic posset superari ab alia ratione, quae excluderet maiorem contingentiam; sed omnem contingentiam quomodocumque illa sit excludit sicut Deus, & cum in omni exclusione contingentiae non detur magis, vel minus; inde est quod non possit dari maior exclusio contingentiae, quam ea quae reperitur in possibilitate; unde nec in Deo potest dari maior, cum ultra omnem contingentiam, quam negat possibilitas non possit amplius, vel plus negare Deus, quia non datur amplius ultra omne.
- 45 Explicatur exemplo poenae damni, qua cruciantur damnati ad inferi ergastula, nullus enim damnatus habet maiorem poenam damni quam alius, quia cum poena damni consistat in exclusione, & privatione omnis, ac totius visionis beatificae, & in excludendo omnem visionem non datur magis, & minus, inde est quod idem ipsum quod una poena damni excludit, excludat & alia; nam si una excludit omnem, alia eodem modo, & similiter omnem excludit, unde excludit tantum quantum alij, in quo indivisibiliter se habent damnati, & nihilominus in visione ipsa beatifica datur magis, & minus, & sic Divus Petrus magis beatus est, quam puer, qui solo baptismo animam efflavit, ac per consequens magis videt Deum, sic similiter licet contingentia una maior sit quàm altera, nihilominus necessitas Dei non est maior, quam necessitas possibilitatis, quia necessitas possibilitatis non est exclusio alicuius contingentiae: sed omnis, & cum ultra omne non possit dari amplius ac magis, inde evenit, quod Deus non excludat magis, quam excludit possibilitas contingentiae nimirum, & per consequens evenit ut non habeat Deus maiorem necessitatem, quam possibilitas creaturarum in formalissima ratione possibilitatis.
- 46 Ad secundum argumentum Respondeo nos nunquam negare omnem obiectum esse magis necessarium, quam aliud, nam certissimum est magis necessarium esse Deum existere, quam cras solem illuminaturum, licet utrumque esse necessarium certum sit, solum enim negamus Deum in suo esse debere dici magis necessarium, quam possibilitatem creaturarum, & ratio evidens est, quia ut supra dixi tota ratio formalis quare Deus est in eo gradu necessitatis, quo non sit alius maior est, quia Deus est à se, & independens: sed creaturae possibilitas habet aequalem rationem formalem necessitatis ac Deus, quia etiam est à se, & independens ab omni alio: ergo habebit necessarium aequalem necessitatem.
- 47 Ad tertium concedo libenter quod Deus sit à se; nego tamen creaturarum possibilitatem in esse possibilitatis non esse à se, sed ab alio; unde in hac consideratione est independens à Deo, in ratione formali possibilitatis est aequae necessaria ac Deus.
- 48 Ad explicationem, seu confirmationem dico verum esse quod in antecedenti ponitur ab adversarijs, nego tamen quod ab adversarijs suppo-

nitur in consequenti, scilicet quod possibilitates in esse possibilitatum sint à Deo, & sic corrumpit vis illius argumenti.

Ad quartum concedo primam partem argumenti; nego tamen secundam, ubi asseritur creaturarum possibilitates inferiores esse Deo in necessitate possibilitatis.

Ad ultimum responderetur negando maiorem veritatem esse Deum esse possibilem quam creaturae esse possibilem, nam licet Deus excedat creaturas in existentia, quia existentia earum dependet à Deo, non tamen excedit possibilitates, quia possibilitas non est à Deo in esse possibilitatis.

QVÆSTIO VLTIMA.

Aliqua alia expediuntur de possibilitibus.

PRIMA conclusio: possibilitas creaturarum, & Deus sunt simul cognitione, in eodemque rationis signo reperiuntur, & Probatur.

Primo, quia cognita omnipotentia Dei cognoscitur possibile, quia omnipotentia terminatur, ut ad obiectum ad possibile. Deinde cognitio possibili cognoscitur omnipotentia Dei, quia possibile est illud quod potest fieri ab omnipotentia; unde in sua cognitione involvit necessario omnipotentiam Dei, & omnipotentia etiam involvit possibile, quia est potentia, quae potest facere quidquid non repugnat, & implicat fieri est quidquid non implicat, & non repugnat fieri est possibile: ergo possibile cognoscitur simul cum Deo omnipotenti, & Deus omnipotens simul cum possibili: ergo sunt simul.

Secundo, quia Deus est in eodem signo cognitionis cum possibilitate creaturarum: ergo sunt simul cognitione: antecedens sic patet, quia Deus est in primo omnium signo, ita ut nullum aliud prius signum possit cognosci, quam signum in quo est Deus, & Deus est in illo signo, quia est à se, & summe necessarius: sed possibilitas creaturarum est summe necessaria, quia est à se, ergo est in primo signo: ergo in eodem ac Deus: ergo simul cognoscuntur in eodem signo, si adaequate tale signum percipiatur secundum omne quod in eo continetur.

Deinde, quia Deus non potest concipi ut prior possibilitate, cum possibilitas non dependeat à Deo in sua ratione formali: ergo simul cognoscuntur esse Deus, & creaturae: ergo sunt in eodem signo rationis.

Tertio, quia divina essentia est eminenter omne possibile: ergo cum est eminenter illud, illud non implicat esse in suo conceptu, & in sua connectione praedicatorum: ergo tunc est in esse possibili: ergo est simul cum essentia divina, quare illa non est eo prior, sicut hoc prius ea non est, nam cum possibile sit quod implicat fieri ab alio, tunc cum conceptus possibilis est, tunc conceptibiliter etiam esse debet id à quo potest fieri, hoc autem nullum aliud est praeter Deum, cui status possibilitatis praecise ab existentia convenit nequit, cum illius essentia, tum re, tum conceptu sit exercitium actualis existentiae: est ergo tunc